

motus congruentes ipsius sapientiae, et voluntati

Ita de effectione quae fit in nobis per Filium, ipse dicit Johan: 14. Ego sum via veritas, et vita. Johan: 10. Ego vitam aeternam do eis. Item Nemo potest rapere oves meas ex manibus meis. Haec cum in nobis ab ipso Filio Dei efficiantur certe in nobis praesens est, et humani praesentiae testimonium est illa sententia.

Et quamquam vivificatio est actio naturae divinae, tamen ideo Filij divina natura in nobis est efficax, quia sibi copulamur humanam naturam, et nos sibi membra adiungit. Est enim CHRISTVS caput ecclesiae, non tantum secundum divinitatem, sed etiam secundum naturam humanam sicut Paulus inquit Eph: 1. et ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quae est corpus ipsum, et plenitudo eius, quia omnia in omnibus perficit.

Huc pertinet doctrina de articulo sedet ad dexteram aeterni patris. Est enim cor,